

cabat, & dicebat, da mihi, quod mihi debes.

*Theophylactus.* Et iniecit in eum manu, obrorto collo trahebat, dicens, solve, quod debes.

*Arias.* Redde, si quid mihi debes.

*Græcus.* Prostratus ergo seruus ad pedes eius rogabat eum dicens, Patiens, ac lenis esto erga me.

*Syriacus.* Et omnia tibi rependam.

EXPOSITIO IV.

**H**X Domini presentia multa bona hausit seruus, ut esset mitis, & humilis; at ubi à facie Domini recedit, in multa mala incurrit. *Egressus seruus ille utpote iam, ut ait Hugo, à captiuitate liberatus, multisque Domini bonis refertus. Et egreditur à conspectu Domini, inquit Albertus Magnus, cum semper in illo debuisset permanere in gratiarum actionem. Inuenit, forte adhuc in ipsa regia, seu non longe ab illa, unum de conferuis. Norandum, quod omnes homines dicuntur conferui, utpote eiusdem Domini cultui, ac famulatu naturam suam obstricti. Centum denarios. Denarius, id est Iulius, vel Regalis Hispanicus, & ita decem aureos efficiunt centum denarij.*

*Et tenens, rigide apprehensum, ut explicat Abulensis, ne effugeret, suffocabat eum, id est premebat illi fauces. D. Gregorius Nazianzenus Orat. 16. Vides, ait, quemadmodum multorum talentorum debitor adducatur, ac debito liberetur, ad bonum enim, & facilem Dominum accesserat. At non, ut ei remissum fuerat, ita & ipse quoque remittit, nam animi etiam inductione seruus erat. Domini magnificentia, ac liberalitas seruo condonauit decem millia talentorum, hoc est centum viginti milia aureorum. Serui autem miseria, & auaritia ob decem aureos strangulabat conferuum. Sicut enim à regio, ac nobili animo benignitas prodit, sic à seruili corde austeritas, ac rigor. Deinde pondera, quod seruus à conferuo non solum exigebat pecunias, sed etiam ei iniuriam inferebat, suffocabat eum. Seruorum ingenium est, premere, vexare, ac pœnas augere.*

*Procidens conferuus eius, Alij Codices addunt, ad pedes eius, ut significetur valde profunda conferui humilitas. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Fortè iste sciebat, quomodo Rex remisit totum debitum procidenti, & dicenti hæc verba; ideo & ipse voluit eadem facere, putans quod similiter ille remitteret. Magna enim prudentia est, viam sequi, quam aliis vilem esse cognoscis. Vel quia iudicauit, non esse alia verba aptiora ad impetrandam pietatem à seruo. Sed hæc nihil valuerunt apud fetrea viscera. De quo expositione sequenti.*

QUESTIO VII.

Quare egressus seruus tam durus in conferuum, ut eum suffocaret?

**N**DE tanta crudelitas in homine hoc aduersus suum conferuum, & familiarem, qui pau-

lo antea coram Rege adeo se exhibuerat humilem, ut ante eum prosterneretur; quique à Rege impetrauerat largam misericordiam, quomodo in conferuos tam durum se ostendit.

Respondet primò Theophylactus. *Egressus seruus, qui veniam obtinuerat, strangulat, ac premit conferuum: nullus enim, qui in Deo manet, compassionis expertus est, sed ille egressus erat, & à Deo nunc alienus erat: magna autem erat crudelitas. Rationem tantæ crudelitatis indicant verba illa, nimium. Egressus autem. Qui enim abcesserat à Domino, iam seruus erat, & omnem filialem amorem deposuerat: si enim ut filius in patre permaneret, multis pietatis visceribus in alios esset propensus; in nullo enim magis ostenditur filialis ingenuitas, qua quis Deo maxime adheret, quam in eo, quod affectet, proximis prodesse, eisque impendere beneuolentiam.*

Secundò D. Palchafius lib. 8. in Matth. *Si egressus non fuisset, minime suffocasset; suffocabat autem, & suffocatus adhuc hodie, quoniam à rege exierat. Quandiu se seruus in Domini presentia considerauit, rationabiliter, ac virtuose cum pietate, & humilitate se habuit. At, cum à Domino exiuit, multa sauitia, crudelitate, ac tyrannide se se in conferuum declarauit, in illaque peruehens suffocabat eum, & suffocatus adhuc hodie. Quandiu homo in Domini sui oculis se considerat, valde composita degit; at si se ab illo elongatum recogitat, nunquam in peccatis sistit, sed semper ulterius ruit.*

Tertiò. Illustrissimus Dominus famulo suo, decem nullia talentorum donauit; & tamen ille non solum conferuo suo centum denarios noluit remittere, sed nimis crudeliter tenens suffocabat eum. Cur iste famulus tam ferus, & inhumanus? Erat seruus Domini fauore, benignitate, ac indulgentia multum sublimatus: & qui tales conditione sunt, cum ad sublimia, & gloriosa euehantur, valde superbi, & inmites esse consueverunt, ut perbellè cecinit Claudius lib. 1. in Eutropiam.

*Asperius nihil est humili, cum surgit in altum, cuncta ferit, dum cuncta timet; desinit in omnes, ut se posse putent; nec bellua retrior ulla est, quam serui rabies in libera colla furentis.*

Ait Sapiens: *Non decent stultum delitiae, nec seruum dominari principibus* Proverb. 19. num. 10. Maxime notandum, quod comparat Sapiens stultum seruo. Quenam huiusmodi combinatio? Quid habet seruus in principatu cum stulto in deliciis? Respondent Salazar, Cornelius, & alij. Quod sicut stultus instar bruti intemperans est; nam cum aliquid concupiscit, absque villo rationis distamine statim suas concupiscentias sequitur, illisque postposito omni diuino, ac humano iure inebriatur: sic stultus à dominatu inebriatur, ut absque iudicij franco propriam concupiscentiam, quæ nunquam in suis satiatur rebus, valde impense sequatur, ut superbiat, insolescat, ac tyrannice dominetur; nam semper maiora appetens, omnium aliorum iura contemnit, ac conculcat. Non decent ergo stultum delitiæ, nec seruum dominari. Quæ ergo eis conueniunt? Virga, castigatio, ac vapulatio, ut ab inordinato affectu reprimantur. Hinc dicitur Proverb. 29. n. 21. *Qui delicate à pueritia nutriti seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

Cap. 30. Proverb. num. 21. dicitur: *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. Mouetur, tremitt, fremitt terra, ut habent Hebraicus, ac alie translationes. Sed quæ sunt ista, quæ totus orbis horret, formidat, ac contremiscit? Per ser-*

50. Theophyl.

Serui ingenium crudelitas filij autem pietas.

51. Paschal.

Si homo se cogitat in Dei presentia, composita, ac virtuose se viuitt.

52.

Seruum eleuatus valde crudelis.

Claudius.

53. Proverb. 19.

Salazar, Cornelius.

Seruum in dominatu indo-

Proverb. 29.

54. Proverb. 30. Hebraicus.

Serui principatus excidium orbis.

Salajan.

*autem, cum regnauerit; per ancillam, cum fuerit heres domina sua. Alia duo omitto, quæ presentia instituto non inferuiunt. Sed quare regnum serui, & hereditatem ancillæ sic expauescit orbis? Per illa enim tot rerum iniuria, ac tyrannides inferuntur, ut totus orbis in interitum rui videatur. Saluanus ad initium lib. 4. de Gubernatione Dei. Vnius, scilicet serui, honor, orbis excidium est. Serui enim, & ancillæ dominantes non aguntur ratione, sed passione, & concupiscentia, quæ dum amatur potestate, & imperio, in omnes impune, inique, ac imperiosè grassatur.*

Matth. 18. Ille autem voluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Num. 31. Videntes autem conferui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde & uenerunt, & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant.

VERSIONES.

Arias n. 30. Coniecit eum in custodiam.

Chrysostomus. Donec redderet debitum homil. 26. illud.

Syriacus n. 31. Cum autem vidissent conferui eorum quod factum fuerat, ægrè tulerunt admodum.

Theophylactus. Cum vidissent conferui eius, quæ fiebant, indoluerunt valde; & uenerunt, aperueruntque Domino suo omnia.

EXPOSITIO V.

55. Chryl.

**L**I E autem noluit, facere, quod ei rogabatur. Chrysostomus homil. 62. *Nec verba quidem ipsa, ait, uerius est seruis, quibus salutem acquisiuit: his enim ipse dixit. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: decem millium talentorum debitum cui tui; ita nec portum quidem cognouit, quod intatus à naufragio euasit; nec modus ipse supplicationis ad misericordiam Domini memoriam eum reduxit. Mirum hominum ingenium nec per verba, quibus salutem obtinent, eam ab eis concedunt, vnam legem sibi volunt, alteram aliis adscribunt. Seruus iste per illa verba: Patientiam habe in me: sibi affectauit, ac sollicitauit debiri ingentis remissionem, per eademmet verba noluit in minimis conferuo impendere. Et abiit à loco, in quo inuenit suum conferuum. Albertus Magnus, abiit, ab humana scilicet pietate, & clementia. Et misit eum in carcerem, seu in custodiam, donec solueret, nec effugeret; redderet debitum, centum scilicet denarios.*

Homines sibi vnam legem affectant, diuersam alijs adscribunt.

Alb. Magn.

56. Syriacus.

*Videntes autem conferui eius, erant enim omnes eiusdem Domini serui. Syriacus habet, conferui eorum in plurali, tam eius, qui opprimebat, quam illius, qui opprimebatur. Videntes, non enim nar-*

rauerunt Domino, quæ audierunt, vel quæ suspicati sunt; sed quæ viderunt. *Contristati sunt valde, tanquam boni, & pij, qui maxime solent odio prosequi crudelitatem, ingratitude, & omnem malitiam. Origenes homil. 7. in Matth. Sunt autem conferui, qui videntes, quæ facta sunt à conferuo immisericordè, habentes videlicet misericordiam similem regis, contristati sunt; & volentes inuare missum in carcerem, enarrauerunt Domino, quæ facta fuerant. Perpende, misericordiam similem regis. Boni serui à bono domino ebibunt misericordiam, & pietatem, quam miseris impertiuntur. Secus malus seruus domini clementia nil proficit, sed à sua malitia in sauitiam, & impietatem impellitur. Per hos autem seruos Theophylactus, D. Remigius, Carthusianus, & alij intelligunt nostros Angelos custodes, qui sicut de nostro profectu verè lætantur; ita de nostris peccatis, & afflictionibus metaphoricè contristari dicuntur, quia per modum dolentis se habent, dum displicet eis, quod impie agimus, vel quod sinistre nobis contingit. Hiarrant Christo, non quasi ignoranti, sed ut iudicanti opera nostra, & verba, & ut etiam pro nobis loquantur, & exorent.*

Origenes.

Boni serui à domino pietatè ebibunt.

Theophyl. Remig. Carthusian.

Angeli custodes pro nobis intercedunt.

Matthai 18. Tunc vocauit illum Dominus suus; & ait illi: serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.

Num. 33. Nonne ergo oportuit, & te misereri conferui tui, sicut & ego tui misertus sum.

VERSIONES.

Vatablus n. 32. Tunc accersuit illum Dominus suus, & ait illi, serue sceleste, totum debitum illud dimisi tibi, quum obsecrasses me.

Arias. Remisi tibi, quoniam aduocasti me.

Alij Codices Dimiseram tibi, quoniam apud Lucam rogaueras me. Burgensem.

Syriacus n. 33. Nonne oportuit, & te misericordia commoueri erga conferuum tuum; sicut ego commotus fueram erga te.

Arabicus. Secundum misericordiam meam erga te?

EXPOSITIO VI.

**O**CAVIT illum Dominus suus, ad eum puniendum; & ait illi, Quamuis seruus, ut ait Abulensis, in hoc facto nullam haberet excusationem; tamen ut ille videret, quam iuste eum condemnaret Rex, voluit eum prius obiurgari: tum etiam quia ista obiurgatio erat pars pœnæ, ad magnam eius confusionem spectata.

57. Abulens.

Obiurgatio culpa, pars pœnæ.

Chrysof.

Spectabat, quod publice argueretur, serue nequam. Notandum cum D. Chrylostomo homil. 27. in Genes. & 62. in Matth; Quod, quando seruus conuincatur debito decem millium talentorum, nihil conuitij Dominus in illum protulit: at postquam ingratus inhumanitatem in conseruum exercuit, tunc seruum nequam, & improbum Dominus vocat.

8.

Caietan.

Nonne ergo. Benignus Dominus ex aequo disceptat cum seruo, ergo oportuit, & te misereri. Notat Caietanus, quod non dixit Dominus, oportuit, te donare conseruo tuo debitum, sicut ego donavi tibi; sed dixit, oportuit te misereri. Seruus autem iste tenebatur ad misericordiam conserui sui ex debito morali, atque decentia, vt recte explicant Carthusianus, ac Caietanus; honestas enim moralis non admittit, vexari hominem impotentem soluere debitum pecuniarum, praecipue cum ipse rogaret pro dilatione temporis cum promissione soluendi omnia. Secundo, aequitas moralis postulat, vt seruus praclarissimum Domini exemplum non contemneret, sed vt ipsum imitaretur; & sicut ipse supplicans, Domini clementiam in ingenti debito obtinuit; sic & ipse in paruo debito conseruo roganti concederet, & minime eum suffocaret; lex enim naturalis dicitur: Quod tibi non vis, alteri ne facias. Sicut & ego tui miserus sum. Tribus membris constat haec exprobratio. Opponitur in ea Dominus seruo. Ingens debitum valde minuto. Summa clementia magna credulitati. Hisque denotatur tota parabolae sententia. Nos quid tantillum, ac valde paruorum sumus, si cum Deo conferimur. Fratrum in nos offensae valde minutae sunt, si expendatur nostra erga Deum obligatio, nostrumque debitum erga suam Diuinam maiestatem. Deinde quod si rogantibus fratribus delictorum in nos admissorum veniam negauerimus, Deus vicissim nobis rogantibus peccatorum in se admissorum remissionem, ac misericordiam denegabit.

Scopus totius parabolae.

QUESTIO VIII.

Quare, cum iniquus seruus damnatur, Dominus suam pietatem testatur?

59.

Ratio diffcultatis.

Dominus vocat seruum, vt suae crudelitatis ei poenam inferat; & tunc ait illi. Nonne ergo oportuit, & te misereri conserui, sicut ego tui miserus sum? Ad quid, antequam bonus Rex procedat ad poenam infligendam, coram omnibus testatur, quomodo serui precibus annuens, illius fuerat miserus? Ad quid modò suam magnam pietatem in tanto debito remittendo euulgat?

60.

Chrysof.

Princeps domum non reuocet.

Primo respondet D. Chrylostomus homil. 62. Animaduerte, quam mitis sit Dominus, quasi constitutus in iudicio satisfactionem reddit, quare donationem illam uniuersam reuocauit; imò verò non ipse reuocauit, sed, ille, qui accepit, euerit. Adeo alienum est à bono principe, quòd donum semel datum reuocet, quòdque multo rigore, in suos se habeat, vt bonus Rex, antequam inhumanum seruum damnet, eumque indulgentia facta priuet, publicum prius rigoris sui det testimonium, suaeque mititatis, ac clementiae praebet manifestam satisfactionem, quòd scilicet donationem ipse non reuocat, sed potius illa se seruus declarauit indi-

Princeps suorum operum det satisfationem.

gnium. Discant etiam ex his principes in magnis operibus, etiam rudibus popularibus suorum factorum aliquam manifestare satisfactionem.

Secundo Theophylactus. In iudicium intrat cum seruo Dominus propter immisericordiam: vt ostendat, quòd non ipse, sed serui crudelitas, & ingratitude donationem irritet. Deum non poenitet de donis suis; tamen ingratitude tanta est turpitudine, vt ipsa donum irritet, & gratiam concessam amitti faciat. Sed quomodo iste seruus à Theophylacto dicitur ingratus? Quidnam debiti Domino suo defraudauit? In eo enim quòd iste fuit inhumanus in conseruum; inde ingratus erga Dominum exitit. Pro beneficiis in nos collatis vult Deus, vt pietatem, & clementiam pauperibus, & miseris exhibeamus: & si hanc illis denegamus, erga Deum ingrati constituimur.

Tertio. D. Paschasius lib. 8. in Matth. Ait Dominus: Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me; quanto magis oportuit, &c. Quod si ista veniunt in opprobrium, qua dimisit bonus Rex, & pius; quanto magis ea, qua postea commisit seruus ingratus, & malus, cui nulla alia causa fuit, vt dimitteret ei, nisi quia bonus Dominus erat, & quia rogauit adorans. Antequam Dominus poenam inferat: Tradidit eum tortoribus: seruo delictum obicit. Quomodo post acceptam insignem Domini clementiam, valde rigidam in conseruum exercuerat crudelitatem. Oportuit te misereri. Ad quid delictum repetit? Non poena, sed potius delictum, causaque poenae hominem deturpat, multaque iniuria afficit: indeque pro maiori opprobrio, ac confusione serui eius crimen diuulgatur, ac repetitur.

Cum Abrahamus ex variis victimis Deo sacrificaret, dupliciter dicitur quòd in ipso sacrificio Sol occubisset. Primo. Cumque Sol occumberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum. Genes. 15. num. 12. Et iterum postquam ei declaratur sui seminis dura seruitus in Aegypto, dicitur. Cum ergo occubisset Sol, facta est caligo tenebrosa. ibidem num. 17. Cur in hoc duplici Solis occasu, in primo timet, & horret Abrahamus, non verò in secundo, cum in hoc posteriori exprimitur, quòd facta fuerit caligo tenebrosa, quae ex se magnam formidinem incurrere valebat? Rupertus lib. 5. in Genes. cap. 22. Hac tenebrarum iteratio, inquit, geminam seminis Abraha aduersitatem significat. Primam scilicet, qua fratrem suum Ioseph vendiderunt, qua causa fuit seruitutis illorum; secundam, qua post mortem Ioseph à Pharaone tribulati sunt. Prior quidem aduersitas, res fuit iniquitatis, propter quod signanter dictum est, horror magnus, & tenebrosus inuasit eum. Primus Solis occasus venditionem Ioseph, à posteris Arabae factam, denotabat, in qua grauissime peccauerunt: secundus verò occasus, exinde subsecutam captiuitatem eorum in Aegypto sub duro Pharaonis iugo representabat: hinc Abrahamus utpote iustus, & sanctus, cum peccatorum venditionis vidit in posteris, pauet, & horret; minime verò, cum ex illo poenam vexationis, & seruitutis Aegyptiacae agnoscit. Prior quidem aduersitas, res fuit iniquitatis, propter quod dictum est, horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.

Cum adesset Christus in vltima Cena cum suis Discipulis, ait illis: Vnus vestrum me traditurus est. Et contristati valde ceperunt singuli dicere: Nunquid ego sum, Domine? Matth. 26. num. 21. Postea verò Dominus poenam diuulgat in proditorem. Vt homini illi, per quem filius hominis traditur, bonum erat

61.

Theophyl.

Grati sumus Deo, cum misericordiam proximo impendimus.

62.

Paschas.

Plus deturpat culpa, quam poena.

63.

Genes. 15.

Rupertus.

Iustus plus timet culpam, quam poenam. Match. 26.

64.

Match. 26.

erat ei; si natus non fuisset homo ille. Tunc impudenter. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi? ibidem num. 25. Cum Christus Dominus proditoris crimen aperit, tunc, tacente Iuda, ceteri Apostoli ininterrogant: Nunquid ego sum, Domine? at cum Diuinus Magister poenam in traditorem comminatur: Vt homini illi: ceteri Apostoli tacent, & vnus Iudas tunc quatit, & interrogat, vt astruunt Carthusianus; Barradas, & alij. Quid, est quod audito crimine, Vnus vestrum me traditurus est, tunc Apostoli respondent, Nunquid ego sum, Domine; & Iudas, veluti parui pendens tantum nefas, tacet; at audita poena, tunc Iudas occurrit, Nunquid ego sum, Rabbi; & tunc ceteri Apostoli, ipsam poenam pro nihilo ducentes, tacent? Perpende, quantum discrepat ingenium viri sancti, & pij ab improbi, & impij genio. Cum Apostoli audiunt proditoris nefas, Vnus vestrum me traditurus est; tunc ex tanto scelere horrent, & expauescunt, Et contristati valde ceperunt singuli dicere, nunquid ego sum, Domine? Timebat quilibet, ne ex humana fragilitate in tantum nefas incideret Euthym. Timebat quisque, ne forte talis euaderet mente excacatus. At de poena maxime conturbatur, & dolens Iudas ait, Nunquid ego sum. Proposita culpa, quam contemnit, tacet Iudas; multum tamen de poena timet, & dolet; ad quam non loquuntur Apostoli, sed culpam formidant, & horrent, ad ipsamque respondent dicentes, Nunquid ego sum, Domine.

Carthusian. Barradas.

Euthym. Iusti horrent culpa potius, quam poenam; iniqui verò contra.

Matthaei 18. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vnuersum debitum. Num 35. Sic & Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

VERSIONES.

Syriacus num. 23. Proinde excaudit Dominus eius. D. Chrysofom. Donec persolueret. homil. 62. Variablu. Quousque redderet totum quod debebatur ipsi Fratri suo de cordibus vestris delicta illorum. Euthymius, Theophyl. num 35. Arias. Lapsus eorum. Syriacus. Errata eius.

EXPOSITIO VII.

65. Chrysof.

VIA, ait D. Chrylostomus in Catena, seruus beneficio non est factus melior, relinquitur, vt poena corrigatur. Textus. Et iratus Dominus, extrema, & implacabili ira; hic autem dicitur irasci, & non antea, de quo quaestio. sequenti tradidit eum tortoribus. Ex historiis constat, iure antiquo Romanorum, quibus Iudaei tempore Christi, erant subiecti; solitum esse debitorum à creditoribus Sylueira in Euang. Tom. IV.

Qui beneficio non proficit, poena dignus.

tradi tortoribus in carcerem tradendos, & verberibus flagellandos. Primus tamen Constantinus Imperator ex Christiana benignitate à plumborum ictibus debitorum exemit. Porro tortores, inquit D. Remigius, & Carthusianus, sunt demones, qui peccatorum animas mille modis durissime torquent, & cruciant in inferno. Quoadusque redderet, id est in aeternum torqueretur, perpetuo punietur; nunquam tamen totam poenam persoluet. Ita D. Chrylostomus, D. Remigius, D. Paschasius, Euthymius, Theophylactus, qui ait: Hoc significat, quòd tandiu puniatur, donec reddat: nunquam autem reddet, quòd debebat, videlicet poenam, quam meruerat: semper ergo punietur.

Remig. Carthuf.

Chrysof. Remig. Paschal. Euthymius. Theophyl.

66.

Theophyl.

Qui iniurias non remittit, indignus, qui Dei filius nominetur. August.

Græcus.

Hieron.

August.

QUESTIO IX.

Quare seruus, cum videt Dominum in se iratum, non recurrit ad preces, per quas antea misericordiam impetrauerat?

PRIMO cum Dominus mandasset, seruum venundari; ipse prostratus, patientiam supplicans, misericordiam impetrauit: Miserus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & omne debitum dimisit illi. Modo autem cum iratus Dominus tradidit eum tortoribus, nil pro se loquitur. Cur modò sic tacet, & pro sui causa preces non offert, per quas antea clementiam fuerat affectus?

Ratio diffcultatis.

Respondet primò D. Chrylostomus homil. 62. Modo ira commoritur eum tradidit. Quando enim, vendi eum iussit, nulla ira fuit in verbis eius, & ideo non vendidit; sed humanitatis maxima fuit occasio; nunc autem hac sententia non parua cum molestia ad supplicium terminatur. Cur non aliquid facit homo, vt antea genua flectens, vel misericordiam implorans? In primo euentu non se exemerat diuinæ iustitiæ gladius, sed ex multa pietate fuerat veluti quadam comminatio, vt homo misericordiam deprecaretur. At modò

Chrysof.

Diuina ira timore conturbatur peccatores ad poenam.

V. diuine